



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Contra amorem sui ipsius, 31

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



## C A P V T X X X I.

*Contra amorem sui ipsius.*

1. **Q** Vis est (benignissime Domine Iesu Christe, per quem & cum quo æternus processit amor) qui te vere diligit? Credo & scio Domine, quod ille solus novit se vere diligere, qui veraciter te amet, & sedulo agit, ut te, qui es summum & verum bonum, amando fruatur. A te Domine manat vera amicitia, quam non temporalibus commodis, sed gratuito amore metiri convenit. Nemo enim potest veraciter seipsum amare, qui te veraciter non amaverit. Nam te amando, seipsum amat; te autem non diligendo, seipsum non diligit. Quia amor proprius & privatus, oculum mentis vehementer claudit; & est omnium causa, radix, & fomes malorum. O Domine Iesu Christe, Sol unde fluunt radii amoris, quanta infania plenus est ille, qui solummodo seipsum amat! Nam talis perversio amoris, est fundamentum abjectæ charitatis, & crescit usque ad contemptum tui. Duo namque amores civitates duas faciunt, scilicet Hierusalem & Babylonem. Cælestem Hierusalem facit amor tui usque ad contemptum sui; sed infernalem Babylonem facit amor sui usque ad contemptum tui.

2. O iniquum & perversum amorem, qui sic me miserum peccatorem colligavit & incitavit, ut verum amorem abjicerem & contemnerem; & se toto corde  
am-



amplecterer, se desiderarem, se tenerem, se uterer totis viribus: & se celando in occulto pectoris, in culpam facile pravi cordis laberer & operis. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus amari dignissimus es, quid faciam ego iniquissimus peccator? Quem amatorem potero invenire, qui me diligit, cum nullum dilexerim nisi meipsum, & in peccatis innumerabilibus vixerim? Quis me liberabit à ventura ira, à rugientibus præparatis ad escam, & à laqueo infernali? Meipsum juvare non possum, neque te requirere audeo, cum te non dilexerim. Imo quia neminem dilexi, neminem audeo in adiutorium meum invocare. Sed ad tuam immensam pietatem recurro, ô amor, qui errantes reducis; qui misericors es & miserator, & neminem vis perire, sed salvas sperantes in te. Succurre ergo mihi, & da veniam de peccatis; & gratiam, ut nunquam me respiciam, sed te, vel me in te; ut diligam te toto corde, nec à tua dilectione unquam recedere valeam, sed ipsam conservem nunc, & in vitam sempiternam, Amen.

## CAPVT XXXII.

*Contra amorem mundi.*

1. **S**Cio & expertus sum ego ingrattissimus peccator, (clementissime Domine Iesu Christe, supercælestis amator) quod amor mundi, animas, quas ingreditur, quietas esse non patitur: semper enim suspicionibus vanisque terroribus sollicitat eas.

Talis